

VARIA OPERA  
in partibus quatuor  
anno 1517.

titulus in manu anno 1517.

Varia operam  
in partibus quatuor  
anno 1517.

Varia operam

in partibus quatuor  
anno 1517.

Varia operam  
in partibus quatuor  
anno 1517.

Ung.  
VI  
54

~~EX BIBLIOTH.~~  
EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

W-57.

SIGNAT. cI515 CCCXIII.

Ex  
3. Bx.

m) 49

PARAPHRASIS  
In Canticum Simeonis Luc. 2.  
docens modum rectè uiuendi  
& piè moriendi, Elegiaco  
carmine compræ  
henſa.

Casparo Steurlin

Smalchaldensi.

ADDITVM EST INFINE EPI-  
CEDION REVERENDI VIRI CASPA-  
ri Steurlin Concionatoris Smalchal-  
densis &c.

Vuitebergæ excudebat  
Laurentius Schuenck.

1562.

AD NICOLAVM STEVR  
LIN FRATREM EP.

F R A M M A .

O Frater, mihi celi pater colende,  
Nostræ quicquid id est poëma Musæ  
Ambobus studij meis patronis  
FISCHERO celebri, pioq; PHNORO  
Vt tradas, animo precor fideli.

Quæras conueniens utrisq; tempus,  
Cum curis uacui negociorum  
Fallent tempora mutuis loquelis.

Excuses etiam meæ iuuentæ  
Carmen, si uitjjs scatebit illud.  
Annos octo nouemq; uix peregi:  
Cum nostris quoq; Musa crescat annis.

Quod restat: Valeas amande frater  
Vitam Nestoreos gerens per annos.



479

REVERENDIS VI-  
RIS, PIETATE AC ERUDITIO-  
NE PRAESTANTIBVS, D. MAGISTRO  
Christophoro Fischero Comitatus Hennebergensis Super-  
attendanti, & Domino Hieronymo Phnoro Ecclesiæ Smal-  
chaldensis Pastori uigilantissimo, Dominis ac Me-  
cœnatibus suis summa colendis obser-  
uantia.

Diuini primo Carmen SIMEONIS in ævo,  
Exiguo cecinit nostra Thalia stylo:  
Non etenim magicæ foedissima carmina Circes  
Continet, aut Gnydiæ turpia stupra Deæ.  
Sed docet intrepidæ mortis pia fata subire,  
Celsaçp supremi scandere regna DEI.  
At quoniam digno caret hæc mea Musa nitore,  
Cogetur morsus, Zoile, ferre tuos.  
Vos igitur patriæ clarissima lumina terræ  
Hoc exile, precor, suscipiatis opus.  
Pellatisçp mali mordacia scommata Momè,  
Ut cernant uestram Carmina nostra fidem.  
Hæc (fateor) uernæ sunt germina prima iuuentæ,  
Prima tamen Veris dona placere solent.  
Quare, Pastores omni pietate colendi,  
Primitias placide perlegitote meas.  
Sunt animi grati certissima symbola nostri,  
Quo colo natalis uos duo fulcra soli.  
Splendidiora quidem Reuerentia uestra meretur,  
Quæ studium nostrum sæpe iuuare solet:  
Est tamen interdum pro rebus grata uoluntas,  
Et qui non factis, mente placere potest.

A ij Spes

**Spes manet, & non me mea fasset opinio: Vobis**  
Dona iuuentutis grata futura meæ.  
**Subiunxi patrium plangentia carmina funus,**  
Non citra lachrymas carmina facta meas.  
**Hoc etiam scriptum uobis offerre patronis,**  
Res est officio non aliena meo.  
**Nam Pater ( ut memini ) carmen Simeonis amabat,**  
Vitalis donec linqueret ossa calor.  
**Paulinum crebro repetebat pectore dictum:**  
Nostra penes Christum mens cupit esse suum.  
**Quicquid id est, animis quæso decerpite promptis,**  
Sunt etenim fructus munera prima mei.  
**Hæc scripsi uiridis primo sub Vere iuuentæ,**  
Pulcher at Autumnus carmina plura feret.  
**Quod supereft, precor, ut quali cœpistis amore**  
Pergatis studium uelle iuuare meum.  
**Sic Deus Vxores, sic pignora uestra fouebit,**  
Et uobis uitæ commoda multa dabit.  
**At te, Christe, peto, rerum seruator & author,**  
Ut serues tales, tempus in omne uiros.  
**Qui pia diuini tractant mysteria uerbi,**  
Et Musas omni sedulitate fouent.

**V. D.**

**addictissimus**

**Casparus Steurlin  
Smalchaldensis.**

PARAPHRASIS IN  
Canticum Simeonis Lucæ 2.  
docens modum recte uiuendi  
& piè moriendi, Elegiaco  
carmine compræ-  
henſa.

**Q**VAM bene ſub priſco uiuebant tempore Patres,  
Aurea cum primi ſecula Regis erant:  
Sponte ſua ſine lege fidem rectumq; colebant  
Seruantes iuſtæ ſimplicitatis opus.  
Impietas aberat procul, & genus omne malorum,  
Regnabat cultæ relligionis honos.  
At quæ barbaries iam nunc dominatur in orbe?  
Quæ nunc impietas aspera corda mouet?  
Scilicet irrupit uenæ peioris in æuum  
Omne nefas: Virtus undiq; spreta facet.  
Viuitur in uitij: Solus placet omnibus error,  
Nec ſine delictis præterit hora ſuis.  
Perpauci reſtant, quos tangit cura Tonantis,  
Indulget uetitæ cætera turba gulæ.  
Nulla ſuis iacuit uitij oppressior ætas,  
Quam quæ nunc summa nos leuitate premit.  
Qualis enim facies? qualis dementia mundi?  
Quam malus eſt cunctis rebus ubiq; ſtatus?  
Iuſticiam procul hinc uis pernicioſa fugauit,  
Expulit & reclam fraud odiosa fidem.

A ij Nunc

Nunc etiam paſſim Leges & iura recumbunt,  
Sternuntur largi maxima dona Dei.  
Heu heu degenerum peruersa licentia morum,  
Dedecus, impietas, iam uiget, atq; dolus.  
Horrida diuini ſpectantur ſigna furoris,  
Prodigijs pariter terra polusq; tremunt.  
Vidimus impuro stagnantes ſanguine riuos,  
Vidimus in rutilo prælia facta podo.  
Vidimus immixtum nigranti ſanguine cœlum,  
Auertunt uultus Lunaq; Solq; ſuos.  
Terra tremit, cœlum dolet & Natura gemiscit,  
Ad casus grauiter deficit illa ſuos.  
At quis diuina ſub pectore ponderat iram?  
Quis timet irati talia ſigna DEI?  
Nil quicq; mundus priſco de more recedit,  
Quin mala quotidie deteriora facit.  
Dum falsis inhiare bonis, dum fingere cœlum  
In terra, Mortem dum fugitare uolunt,  
Dum bona quæ noſtræ ſunt ſuſtentacula uitæ,  
Aeternis præfert dira cupidio bonis.  
Quid, precor, eſt cauſæ, ſcelerum quod tempore noſ  
Ceffit in humanum tanta libido genus? (stro.  
Hæc eſt: Terrigenūm pauci ſub mente uolunt,  
Quam ſubitò uitæ tempora noſtra ruant.  
Nam ſi poſtremam quiuis perpendere horam,  
Eccles. 7. Non eſſet tantis obruta uita malis.  
Non tam uefanae furiosa licentia uitæ,  
Supprimeret noſtrum nocte dieq; ſtatim,  
Sed Deus à multis uero coleretur amore,  
Regnaret pietas, Candor, & alma fides.  
Hoc igitur ſtudeat pia mens, hoc cogitet unum,  
Qua ratione piam poſſit obire necem,

Nam

Nam nisi quis summam claudat feliciter horam,  
Non poterit nitidi templa subire poli.  
Ergo Deum quicunque colis mundana perosus,  
Qui bene uis animæ consuluisse tuæ.  
Volue, reuolue sacros studiosa mente libellos,  
Et reputans quid sit uiuere, disce mori.  
Ast hoc non poteris meliori discere pacto,  
Quam pia si uigili dogmata mente legas.  
Isthic Cygnæum Simeonis respice cantum,  
Inde piæ disces mortis adire uiam.  
Sic autem Senior diuino numine ductus  
Cantat, ut hæc Lucæ pagina sacra docet:

NVNC DIMITTE TVVM, DEVS O SANCTISSIME, SERVVM,  
VT PLACIDAE CAPIANT MEMBRA QVIETIS OPVS.  
NAM DOMINVM (VELVTI TVA SVNT PROMISSA) SALVTIS  
VIDERVNT OCULI, CONDITOR ALME, MEI.  
ET MEA SALVIFICVM TETIGERVNT BRACHIA CHRISTVM  
QVI NVNC ISACIDOS GLORIA PLEBIS ADEST.  
QVIQVE SACRO CAECAS RADIABIT LVMINE GENTES,  
LVMINE QVOD SVAVI CORDA REPLEBIT OPE.  
O sacrum carmen superis ex sedibus ortum,  
Quis poterit dignis te celebrare modis?  
O utinam meritas possem tibi dicere laudes,  
Pluraque cum sensu iungere uerba tui.  
Sed ne forte cadant, uereor sub pondere uires,  
Ingenio fragiles suppeditante uires.  
Ordinar: an taceam: Sed quid dubitando fileesco?  
Ordinar: Audaces Sorsque DEVISque iuuant.  
At te suppliciter, Sanctissime Spiritus, oro,  
Ut flectas timidi plectra pusilla styli.  
Tu mihi seclusus Simeonis pandito sensus,  
Qui reples radijs pectora cæca tuis.

Luc. 2o

Ordinar

Ordinar ergo tui suffultus robore doni,  
Discutiens sancti carmina sancta Senis.  
In quibus ipsa piè moriendi norma docetur,  
Norma Sophocleo carmine digna cani.

(mortis,

NVNC DI-  
MITTE.

**Q** Vid magis est certum, quam quod truculentia  
Omnigenum rapiat sub sua iura genus?

Haud etenim quisquam fatali tutus ab hoste  
Viuit: atras cunctis injicit ille manus.

Scilicet indocili tollit cum plebe potentes,  
Cum senibus iuuenem, cum muliere uirum.

Ostia iam Croesi, iam pulsitat ostia Codri,  
Sors eadem simili nos ratione premit.

At nemo nostrum fatalia tempora nouit,  
Certa quidem mors est: Ipsa sed hora latet,

Hora latet cunctos: solo de numine pendent,  
Ad poenam nostræ tempora structa necis.

Quilibet ergo piæ qui uult succumbere morti,  
Ad fatum mentem præparet usq; suam.

Nam ueluti miles se fortibus induit armis,  
Aggregiens telis hostica castra suis:

Sic moriturus homo se spiritualibus armis  
Muniat, ut mortis spicula ferre queat.

Hæc nobis Simeon Vates documenta ministrat,  
Fatidico tales dum canit ore sonos: (uum,

NVNC dimitte tuum, NVNC, NVNC, Deus optime sera  
Nec uitæ plures suppeditato dies.

Omnibus ille fuit momentis, omnibus horis,  
Indomitæ structus fata subire necis.

Sic quondam sacro repletus Apostolus igne,  
Se uoluít uitam claudere posse suam.

Quam uellem (dicit) sceleratum linquere mundum,  
Quam uellem solui languida membra mihi.

E<sup>r</sup>

Roma. 2.  
Philip. 1.

965

Esse penes Christum cupidis desidero uotis  
Nil mihi cum mundo: Cœlica templa petam.  
Outinam nostra quoq; tempestate supremam  
Tam cupido peteret quilibet ore diem.  
Non certe tantus rabido furor esset in orbe,  
Quantus in his terris( proh dolor) esse solet.  
Dulcia sunt igitur Iessæ iuerba prophetæ,  
Affidue quorum nos meminisse decet:  
O Deus, ut mediter postremæ tempora uitæ, Psalm. 39.  
Instrue tu mentis plumbea sensa meæ.  
Sic ego cognoscam tandem uerumq; putabo,  
Certa quod est uitæ meta tributa meæ.  
Onimum felix, ô terq; quaterq; beatus,  
Qui Dominum uero talia corde rogat.  
At quis terrigenum fatalem ponderat horam?  
Quis sua sub tacito pectore fata mouet?  
Quis cupid, ut numerum possit nouisse dierum? Psalm. 90.  
Ceu Moysen quondam concinuisse ferunt.  
(Horresco referens) Hominum quot millia uiuunt?  
Venturæ nolunt qui meminisse necis?  
Adde quod & Satanæ nil non conatur in illos,  
Ut uoluant animis talia dicta suis:  
Quid s' medio teneræ uersor sub flore uiuentæ,  
Nec mihi fortunæ cura negauit opes.  
Iam, quia fert ætas, utar uiridantibus annis,  
Quid prodest uitam sic macerasse suam?  
Si ueniet tandem tremulo pede tarda senectus,  
Tum de lethali sit mihi cura die,  
Tum mihi tempus erit meliorem sumere mentem,  
Ac aliter mores instituisse meos:  
Quisquis es, insano qui talia pectore uoluis  
Pernicies alijs, perniciesq; tibi.

B      Nunquis

Nunquid præfago dixit tibi carmine Vates,  
Aduentura tuæ quando sit hora necis?  
Nonne uides mortem iuuenescere senescere necare,  
Et uaria multos conditione mori.  
Nam uelut in riguo quæ gramine nascitur herba  
Incurua subito falce resecta cadit,  
Sic omnes morimur, nec certam nouimus horam,  
Qua rumpent ternæ stamina nostra Deæ,  
**I**n Sam. 25. Ecce, Nabel nimio cum corda grauasset Iaccho  
Ingenti moriens anxietate perit.  
Haud metuens mortem conuiuia Baltasar egit,  
Quem noctu subita mors rapit atra manu.  
**D**an. 5. Arbore sic Haman subito suspenditur illa,  
Quam Mardochæo struxerat ante pio  
Sic hostes sancti Danielis in antra Leonum  
Proiecti sœuis interiere modis.  
**H**esth. 7. Sic perijt diues, quem Lucæ pagina signat,  
Cuius Lazaridæ dextra negabat opem.  
**D**an. 6. At quia nos melius docet experientia rerum,  
Pluribus exemplis non opus esse reor.  
**L**uc. 12. Incolumes intrant nocturna cubilia multi,  
Quos noctu mortis tollit auara manus.  
Exigua multi musca cecidere necati  
Præstantes animis & grauitate uiri.  
**H**is igitur moniti uetito qui crimine gaudere  
Aeterni discant iura timere Dei.  
Et quia nemo suæ cognoscit tempora mortis  
Desistat uarijs se maculare malis.  
**V**t sic fatales adsit munitus in hostes,  
Et funesta queat ferre pericla necis.  
Qui reprobam uitam meliores uertit in actus,  
Non falso pectus munijt ille suum.

Non

487

Non aliter poterit felicem cernere finem,  
- Non aliter coeli sancta theatra petet.  
Felix qui promptus mortis reperitur in hora,  
An quæso quicq; lætius esse potest?  
Crede mihi, bene qui moritur, bene uixit, & ille  
A summo capiet præmia certa Deo.  
Det Pater, & Gnatus, simul & Spirabile Numen,  
Simus ut ad nostram turba parata necem.  
Et doceat, rapidi dum stamina ducimus æui,  
Ceu uentum nostros auolitare dies.  
Vt sic uenturi meditando funera lethi,  
Viuendi felix perficiamus iter.  
Vt sic in tristi uitæ fugientis agone,  
Vincamus mortis speq; fideq; metum.  
Talibus assiduo mortalia pectora uotis  
Supremum discant sollicitare Deum.  
Hunc penes est etenim nostræ custodia uitæ, TV DOMI  
NE DIMIT  
TE.  
Hunc penes est nostræ uis quoq; tota necis.  
Nunc age, summe DEVS, TV TV dimitte mini-  
Diuina Simeon uoce propheta canit. (strum,  
Non penes est Satanam Mors ultima meta laborum,  
Te penes est solum Vitaq; Morsq; DEVS.  
Pallida tu rabidæ fregisti spicula mortis,  
Spicula uirtutem non habitura suam.  
Quid multis opus est & hæc sunt solatia nobis,  
Quòd nolente Deo Parca nocere nequit.  
Absq; DEI uenia nobis (mihi crede) capillus Mtath. 10,  
Labitur ex capitis uertice nullushumum.  
Non moritur quisq; quem non diuina uoluntas  
Fata pati certa conditione uelit.  
Nunc aliquis tetra gelidæ formidine mortis  
Territus, hæc forti dicere corde potest,

Bij

Vita

Vita mihi Christus, Mors est mihi nobile lucrum,

Hic ego securæ tempora pacis ago.

Psalmographus recte diuino carmine uates

Concinuit, soluens talibus ora modis.

Psalm. 31. In manibus Deus alme, tuis est uita piorum,

Est simul in manibus mors quoq; nostra tuis.

Nam nostris metam fixit tua dextra diebus,

Hanc ultrà nobis non datur ire uiam.

Vitalem (si uis) tu surripis omnibus auram,

Quodq; cinis fuerat, fit (uelut ante) cinis.

Non igitur quisq; casu modo uiuit inani,

Nec quenq; casu mors odiosa rapit.

Rom. 14. Nam seu uiuentes hac pulchraluce fouemur,

Sive damus moestis corpora nostra rogis,

Ipsius in manibus Domini sumis, ille fideli

Nos cura seruat, protegit, ornat, amat,

Psal. 116. Scilicet ante Deum mors est preciosa piorum,

Qui sua constanti fata tulere fide.

Quilibet ergo pio qui uult succumbere letho,

Ad Dominum uigiles dirigat ille preces.

Ne nos concedat Stygio Cacodæmone falli,

Nec nobis dextram subtrahat ille suam.

Sed nos clementer sanctis tueatur in ulnis,

Vltima dum nostros clauerit hora dies.

Sic aderit nobis diuini gratia Christi,

Qui nequit insertos deseruisse sibi.

At quia de nobis sic fert diuina uoluntas,

Vt subtriste necis perpatiamur onus.

Non decet, ut, si nos Deus hoc reuocabit ab orbe,

Inuitio quisquam pectore fata ferat.

Quippe uoluntati Domini quicunq; resistit,

Non bene diuinum suscipit ille iugum.

Nec

489

Nec decet ut nimium nostros doleamus amicos,  
Quos placitam nobis Mors rapit ante diem.  
Tristia sic etenim deplorant funera gentes,  
A nobis pietas hoc iubet esse procul.  
Non nouere Deum Gentes, nec credere possunt,  
Aeterna cunctos à bonitate regi.  
At nos præsidio diuinum Numen habemus,      *Esa. 45.*  
Quod nunque poterit deseruisse pios.  
Adde, quod in damnum nostrum si uertéret illud,  
Non sineret Christus, nos sua membra, mori.  
Nam Pater omnipotens ex acto pectore nouit,  
Qualibus indigeat iusta Caterua bonis.  
Absint, qui diris ululatibus æthera complent,  
Cum quem uicina morte perire uident.  
Tristia quid prosunt lachrymarum flumina, uel quid  
Flebilibus prodest ora rigasse modis?  
Nemo suis lachrymis tristi reuocabit ab Orco,  
Quem semel absumpsit concava terra uirum      *Eccles. 38.*  
Sit modus in luctu, tribuatur meta dolori,  
Est aliquid certum semper habere modum.  
Sic quondam planctum Dauid moderatur acerbum      *2. Sam. 12.*  
Deplorans gnati funera moesta sui.  
Quæ nequeunt aliter fieri, patiendo feramus,  
Ex animo crescit non paciente dolor.  
Quàm placide sanctus tolerat sua nuncia Iobus?  
Quàm placide cladem supprimit ille suam?  
Nam cum contracto præceps Rhammusia uultu  
Illum munifica destituisset ope:  
Et cum fugisset sociorum tota caterua,  
Cum coniunx miserum luderet ipsa uirum:  
Mortua cum soboles esset spes unica Patris  
Nec reliquam Genitor moestus haberet opem:  
B ij Ipse

SERVVM  
TVVM

Luc. 17.

Ipse suum luctum uerbis solat̄r amicis,  
Cum tremulo tale s̄ egerit ore sonos :  
Illa dedit Dominus, Dominus simul abstulit illa,  
Hæc eadem rapuit, quæ dedit ante, mihi.  
Gloria donanti, rapienti gloria detur,  
Ipsius enarrent omnia secla decus.  
Armatam superat patientia s̄aþe cohortem,  
Cum tamen ad pugnam prorsus inermis eat.  
Non igitur nimium plangamus morte peremptos,  
Ne nos irati suppressim̄ ira Dei.  
Qui nimium deflent uicinæ funera mortis,  
Aeterni dubitant de bonitate Patris.  
Nec credunt Domini quod sic ferat alma uoluntas,  
Quodq; sit in manibus uitaq; morsq; DEI,  
At quicunq; cupis non molestam cernere mortem,  
Discito sincera mente timere DEVM,  
Quem penes est omnis uitæq; necisq; potestas,  
Quo sine nec uiuit, nec cadit ullus homo.  
Felix diuinis qui nouit cedere iussis,  
Ac animo pariter scit paciente mori.  
Nunc uero uerbis latitat quis sensus illis,  
Quod senior SERVV M se uocat ille DEI,  
Hic docet, ur stultum deuident pectora fastum,  
Pectora felici non caritura nece,  
Ut sua cognoscant uero delicta pauore,  
Sincera Christum qui didecerē fide.  
At nos haud segni si fecimus omnia nixu  
Se uanum seruum quilibet esse sciat.  
Esse DEI famulum, mihi credito, maxima res est,  
Et nihil hac ipsa dulcius esse potest.  
Sed Sathanæ, carnis, mundi q; fuisse ministrum  
Est Stygia dignum perditione scelus.

Quilibet

Quilibet ergo ferat miti sub pectore corda,  
 Deplorans uitæ crimina multa suæ.  
 Mors etenim felix tantum mansueta requirit  
 Pectora, quæ noscunt criminis acta sui,  
 Quæ gemitu plangunt reprobæ contagia uitæ,  
 Atq; cauent iram sponte ciere Dei.  
 Sic patris æterni sic nos decet esse ministros,  
 Mancipium summi sic decet esse patris.  
 Nos igitur meritam postq; defleuimus iram,  
 Planximus & nostri tristia damna mali:  
 Conuersiq; piam pacato corde quietem  
 Cœpimus ex uenia iam retinere D E I:  
 Tunc aliam uitam, uitam mœrore carentem  
 Concedet famulis gratia sancta suis.  
 Hoc fidi serui donum mercedis habebunt,  
 Quantumuis tantum non meruere decus,  
 At quibus impietas reprobis ita creuit in actis,  
 Ut nequeant uitij nosse uenena sui.  
 Hi sunt mancipium carnis, Stygiæq; paludis,  
 Nec possunt faustæ mortis habere diem.  
 Namq; piam uitam uitæ pius exitus ornat,  
 Qualis uita fuit, mors quoq; talis erit.  
 Inter mille malos moritur uix unus & alter,  
 Qui capiat rectæ tempora læta necis.  
 Nos tamen alterius speramus munera uitæ,  
 Qui gerimus uerbo corda renata D E I.  
 Quos non sollicitat diræ uiolentia Legis,  
 Quos nunq; terret mortis, ut antè, metus.  
 Christus enim passus ludibria, uulnera, mortem  
 Sanguine deleuit crimina nostra suo.  
 Quantumuis igitur uitiorum mole grauamur,  
 Attamen haud miseros deseruisse potest.

Dictum D.  
Hieronymi.

Quantum

Quantumvis dubius fugitiuos abstusit error,  
Ut tibi promeritus concitet arma furor.  
Tu tamē es noster, Sanctissime Christe, Redemptor,  
Te duce nunc posthac libera turba sumus.  
Tu tegis infirmæ scelus & peccata cohortis,  
Officio faciens munia digna tuo.  
Nam sic cuncta tuæ reputares debita turbæ,  
Ante tuum posset nemo manere thronum.  
At tu cum seruis noli ius acre subire,  
Sed potius parui commiserere gregis.  
Vincat amor poenam, retrahas tua fulmina quæso,  
Fulmina sub nostrum proïcienda caput.  
Psal. 130. Nam grauiter miseri tibi nos peccasse fatemur,  
Sed parcat famulis gratia magna tuis.  
Psal. 143. Tales ac similes quærat Mens ægra latebras,  
Si pulsat nostras mors inopina fores.  
Illa placet nostro pia Mansuetudo parenti,  
Si de sincero cordis amore fluat.  
Quid sumus ante Deū ? pietas quid nostra meretur?  
Nil sumus ante Deum , nil nisi culpa sumus.  
Cur igitur uanos nos seruos esse negemus,  
Cum facimus, rectum quod queat esse, nihil ?  
Nos sacra Maiestas magna formidine terret,  
Qui sumus heu nimijs stricta caterua malis.  
Nam cunctos posset momento perdere seruos,  
Ni suus in famulos exuperaret amor.  
Sæpe mouet fulmen, sed & illud distrahit ante,  
Quàm trahat incensus fulgura dira furor.  
Ni fauor ille Dei nos prosequeretur amore,  
Ad Stygias omnes proïceremur aquas.  
O quàm mirando fugitiuos diligis igne,  
Optime Christe Dei sancta propago Patris.

Non

593

Non igitur nobis metuenda pericula restant,  
Amisit robur Mors uiolenta suum.  
Mors iacet exanimis, prisco priuata uigore,  
Nunc gaude Christo dedita turba tuo.  
Amplius haud dirum Basilisci nomen habebit,  
Qui necat in uultus obuia quæcꝫ suos.  
Amplius haud atros nobis iniungere Gentes,  
Tortaꝫ pro libitu perdere colla ualet.  
Victor adeſt Christus superans Lethale uenenum  
Cede, Tuus nobis, Mors atra, uictor adeſt.  
Ergo precor mortis quis inermia tela timebit?  
Ecquis, non prompte qui moriatur, erit?  
Mors est pacifica DIMISSIONE Læta quietis,  
Ceu Senior promens talia dicta refert:  
NUNC DIMITTE tuum, Deus, Ô DIMITTE ministrum,  
Sentiat ut placida mens mea pacis opus.  
Mors est grata quies, quæ nos ex carcere mundi,  
DIMITTERNS supera dat regione frui.  
Et nihil est aliud longæuam ducere uitam,  
Quam corpus multis excruciare malis.  
Nulla salus mundo: Cœlestia regna petamus,  
Hic requies, illîc cura laborcꝫ uigent.  
Talibus ex curis cunctos DIMISSIONE mortis  
Eripit, ac donum PACIS habere sinit.  
Est etenim grauium Mors ultima meta dolorum,  
Qua nobis Domini templa beata patent.  
Quis metuat finem? Finem sperare uidemus,  
Omnes quos Phœbi lumina magna uident.  
Sic qui per uigilem consueuit ferre laborem,  
Ingenti serias optat amore suas.  
Expectat flauæ sic tempora messis arator,  
Vinitor auricomu tempora Veris amat.

Osæc 15.  
Hebreo. 3.  
1. Iohann. 5.

DIMITTE  
IN PACE.

Augustinus.

Chrysostomus.

C Solus

Solus homo uictæ metuit qui tempora mortis,  
Exofus ferias horret habere suas.  
Heu mihi Parcarum cur mitia fata timemus?  
Cur requiem fugimus? cur iuga læta necis?  
Cur potius nemo uotis ardenterbus optat,  
Ut sibi mox ueniat cœlitus orta quies?  
Limina cur nitidi penetrare ueremur Olympi  
Per fragilem nobis exuperanda necem?  
Ceu stolidus dulcem fugit infans sæpe soporem  
Ignorans somni commoda magna sui,  
Non aliter summi fugimus nos fata soporis,  
Qui tamen est celsi ianua firma poli:  
Nam postq; nobis clauerunt lumina Parcae,  
Exemplò noster Spiritus astra petit.  
Sidereo inter proceres, sanctamq; cohortem,  
Ponitur, auratæ nempe sub arce domus.  
At corpus placidam ducit per membra quietem,  
Extremæ donec tempora lucis erunt.  
Cum ueniet Christus magna comitante caterua,  
Concaua cum sonitum scilicet æra dabunt,  
Tum mens & corpus nexu sociabitur uno,  
Angelici capiens gaudia uera chori.  
Gaudia nullius quæ sunt à lumine uisa,  
Cognita quæ pariter nullius auris habet.  
At donec nostro superest in corpore uita,  
Donec adhuc aliquis spiritus ossa regit.  
Assidue sancti meditemur dogmata uerbi,  
Dogmata, quæ nostræ signa salutis habent.  
Ut tenues fragilis si uita recedet in auras,  
Nos releuent, nobis sint medicina necis:  
Vox etenim Christi languentes erigit artus,  
Etue deficiant est relevamen eis.

Sic

IVXTA  
VERBUM  
TVVM.

Sic Simeon Domini uerbis constanter' inhæret,  
Dum promissa pio non sine corde citat.  
O felix quicunq; colit cœlestia uerba,  
Ac pro delicijs uult habuisse suis.  
Proderit hæc illi pietas in mortis agone,  
Cum breuis incert æ uenerit hora necis.  
Quas etenim Satanas tunc non excogitat artes,  
Vt trahat ex ægro pectora uerba D EI:  
Quas non insidias, quas non struit ille latebras,  
Mergat ut in Stygios corpora nostra lacus:  
Tunc opus est animo forti, tunc pectore firmo,  
Vt possis Satanæ fulmina tanta pati.  
Illa potes uerbo procul hinc pulsare sacrato,  
Vt nequeant ulla parte nocere tibi.  
At uicto Satana mollem tua membra quietem  
Ducent in ueri speq; fideq; D EI.  
Et quoniam cuncti sentimus pondera culpæ,  
Fædaq; peccati nil nisi massa sumus,  
Aeternum grauis est res nos accedere patrem,  
Qui sumus horrendis turba grauata malis.  
Ante D EI uultum sordemus criminè cuncti,  
PECCATVM nimis est res odiosa D EO.  
Omnia consumens Deus est, & dicitur ignis,  
Qui nequit hæc mundi crimina tanta pati.  
Saluificum sumas igitur sub pectore Christum,  
Qui cupis infestæ ferre pericla necis.  
Iratum nobis solet is sedare parentem,  
Et iustum precibus conciliare DEVUM.  
Est igitur Christus nobis Lux, gloria, uita,  
Qui delet populi debita cuncta sui,  
Ille pios ex hac lachrymarum ualle solutos  
Ducet ad æternæ recta beata domus,

C ij Christe

Quia uide-  
runt oculi  
mei Salutare  
euum, quod  
parasti ante  
faciem omni-  
um populo-  
rum.  
Isa. 64.

Lumen ad  
Reuelationem  
Gentium, &  
gloriam ple-  
bis tuæ Israel

Christe Panomphæi soboles Genitoris Iesu,  
A quo nostra uenit non aliunde salus,  
Intima pande, precor, nostri penetralia cordis,  
Numinis infundens dulce charisma tui,  
Vt trucis assiduo meditemur funera mortis,  
Sanctius & uitæ suscipiamus iter.  
Et q uia te penes est uitæc necisc potestas,  
Tu sine nos lœtæ mortis habere diem.  
Nec graue de uanis poscas ius, quæso ministris,  
Quin potius misero parce fauec gregi.  
Fac ut diuini seruemur munere uerbi,  
Si claudit summus lumina nostra sopor.  
Ne nos reïcias nigræ sub tempore Mortis,  
Sed Saluatoris munia uera geras.  
Sis nobis Lumen, sis & pia gloria nobis,  
Ne fera mors famulis fiat acerba tuis,  
Fac ut deuicto subtristis funere lethi  
Intremus rutili regna beata poli:  
Et quia flexiloquos spectas errare Sophistas,  
Qui pro sinceris dogmata falsa docent.  
Quæsumus, ut falsos Cyclopica monstra Prophetas  
Confundas uerbi dexteritate tui.  
Quod supereft Mosci rabiem confringe Tyranni,  
Ne possit populo forte nocere tuo.  
Sic tibi, sic patri, sic sanctæ, gloria, flammæ  
Exurget nullo præteritura die.  
A M E N.

CANTUS

492

n)

# Canticum Simeonis Lucæ. 2.

Δέλοις ἐν εἰρήνῃ σέο νῦν ἐστὶν Κύριος οὐκέται,  
τόπο γαρ ἐφράδοσαν ἡματα σέο ἐμοί,  
ὅπερ μηδὲ φθαλμοι σεοθεν σωτήριον εἶδοι,  
ὅτελλες πάντων πρόδης πρόσωπα βροτῶν  
ῥόφει φῶς φανόμενοι τοῖς φωνησμοῖς ἀριστερῶν,  
καὶ ἡ Ισραὴλ δόξα κλέος κλόνος,

ΤΕΛΟΣ.

τῷ μόνῳ δόξᾳ Θεῷ.

## EPICEDION Reuerendi viri Caspari Steur- lin concionatoris Smal- chaldensis &c.

**O** Funesta dies, ô lamentabilis hora,  
Quæ refricas luctus uulnera prisca mei,  
Quæ facis, ut multas lachrymarum fundere guttas  
Cogar, & irriguas imbre rigare genas.  
Quæ sit causa rogas? Eheu tristissima causa,  
Non sine singultu commemoranda meo.  
C iij Heu

Heu mihi , dilectum rapuisti morte parentem,  
Proxima post Christum qui mihi uita fuit.  
Ergo, parens, orbam sine te nunc ducere uitam,  
Cogor & auxilio nunc caruisse tuo ?  
O nimis est durum sine charo uiuere patre,  
Fatales nuper quem rapuere Deæ.  
Tristis Parthenopen uenit mihi fama sub urbem,  
Fama mei referens funera moesta patris.  
Si modo uix unum licuisset dicere uerbum,  
Et patriæ uocis commoditate frui.  
Dulcia si saltem prius ora uidere parentis  
Quiuissem , gelidæ quam datus esset humo.  
Si simul exequijs licuisset adesse paternis,  
Aequius hæc essent damna ferenda mihi.  
Sed tum Saxonici moestus uersabar in oris,  
Pierij quærens numina sancta chori.  
Quid facerem quæso? Patrios peteremne penates?  
Non illic mea mens quod uoluisset erat.  
Indomitæ tulerant communia gaudia parcæ,  
Gaudia quæ patrum suevit habere solum.  
Heu mihi, quòd nemo tres exorare puellas,  
Aut aliqua saltem flectere uoce potest?  
Quòd parcunt nullis crudelia numina Doctis,  
Et qui Pegasei flumina fontis amant?  
Sic fera diuinum tollebant fata LVTHERVM,  
Et non parcebant, Sancte PHILIPPE, tibi.  
LOTICHIUM nuper rapuerunt, atq; SABINVUM,  
Et qui STIGEL II nomina clara refert.

Nunc

Nunc quoniam placida resolutus morte quiescis,  
     His quoq; chare parens, annumerandus eris.  
 Nam pia cœlestis docuisti dogmata uerbi  
     Demonstrans uerum relligionis iter.  
 Viuere te mallem, si quid mea uota ualerent,  
     Fata tamen nolunt, quod mea uota petunt.  
 Orpheus (ut fertur) tristi reuocauit ab Orco  
     Vxorem, tangens plectra sonora lyræ.  
 Aeneas Stygij descendit Ditis in aulam,  
     Ad patris aspectum, colloquiumq; sui.  
 O ego si possem charum reuocare parentem,  
     Cuiusuis uellem ferre laboris onus.  
 Sed quid ago mœstus? Nil prosunt irrita uota,  
     Appeto nancisci quæ uia nulla potest.  
 Ergo (uelut cœpi) mortem deflere parentis  
     Flebilibus pergam concinuisse modis.  
 Multa meus genitor propter pietatis honorem  
     Sustinuit, numeris non reticenda meis.  
 Antiquis etenim dum demonstrare Bohemis  
     Non falsam coeli pergit ad astra uiam.  
 Insontem necunt arctis post terga cathenis,  
     Pastoremq; pati non uoluere suum.  
 Hinc illum strictim ferrata compede uinctum  
     Tractauit miseris turba dolosa modis.  
 Vrbs antiqua iacet multis notissima terris,  
     Incola quam Pragam turba uocare solet.  
 Proh dolor, hic coram Fernando rege ligatus  
     Astitit, ac patiens multa pericla tulit.

C iiij      Scilicet

Scilicet has grates, hæc gens ingrata ferebat  
Munera, pascenti uoce salutis eam.  
Postea Septenos ibi cum transegerat annos,  
Pellitur ex oris terra Bohema tuis.  
Ergo lares patrios Smalchaldica rura reuisit,  
Illi se tuto uiuere posse putat.  
Ast ibi Romani regnabant dogmata Papæ  
Dogmata, quæ Stygij protulit aula ducis.  
Ille suæ patriæ cladem miseratus acerbam  
Mox taxat falsæ religionis opus.  
Sincerumq; docens infracto pectore dogma  
Saluari, dixit, corda renata FIDE.  
Interea Proceres & Clari membra senatus  
Consultant laqueos imposuisse uiro.  
Ille nihil metuens constanti pergit amore  
Exemplo monitus, sancte LUTHERE, tuo,  
Protinus infelix tenebroso carceris antro  
Clauditur, ut Christi uerba sacrata neget,  
Ille uiam nolens ueræ temerare salutis,  
Quod cœpit, forti mente tuetur opus.  
Vrbs donec renuens fallacis dogmata Papæ  
Doctrinam recipit, maxime CHRISTE, tuam.  
Sic Euangelium nostra renouauit in urbe  
(Testis erit patrum non sine laude solum.)  
Multa tulit, fecitq; pater, sudauit & alsit  
Sinceræ propter religionis opus.  
Non tamen à summi defecit uoce tonantis,  
Sed docuit uerbum Lustra per octo DEI.  
Sæpius

Sæpius arcani luctum mœroris habebat  
 Ante necem : cuius non meminisse uolo.  
 Cum binos annos tredenap̄ lustra peregit,  
 Spectabat placidæ mollia fata necis.  
 Scilicet hæc summo res est ita uisa parenti ,  
 Is uult hæc patrem fata uidere meum.  
 Non ut Auernæ Phlegetontis regna subintret,  
 Aut sit Tartareo præda uoranda lupo.  
 Sed colat excelsi sinuosa uolumina cœli,  
 Cum surgent tumulis mortua membra suis,  
 Interea corpus terræ requiescat in urna,  
 Spiritus in cœlo tempora pacis agat.

**H**As tibi, mi genitor, lachrymas mea Musa mini-  
 Scilicet exequijs officiosa tuis. (strat,  
 Versibus ut paucis magnum testetur amorem,  
 Quo te dilexit, quando superstes eras.  
 Quare, mi Genitor, perpessus fata quiesce,  
 Ad summum dormi molliter usq; diem.  
 Non decet, ut longas cantem tibi carmine laudes,  
 Non debet præco filius esse Patris.  
 Me pietas iussit funus lugere parentis,  
 Et tumulum dignis condecorare modis.  
 Quod superest, urbem, pie Christe, tuere paternā,  
 Sturniacamq; tuo numine pasce domum.

Patri suo dilectissimo faciebat  
 Casparus Steurlin Filius.

EINIS

Epice-

ΕΠΙΚΗΔΙΩΝ ΤΟΥ  
ΑΥΤΟΥ.

Ενθάδε Χαλκίδικης κέτοι εὐκοσμία αἰας  
συργένθε μεδίας δὲ μιδαχήσιμον ἄγαρ.  
πάμωπος δὲ γωλὸν πορφύρων ὥχυνσε θεόμην  
ισχήματα δέ τε πατρικῷ τοῦ πρώτου δὲ ἄσα  
λίσθινσε θρύπων δόγματα λύγα παπά.  
Πόλλος ευαγγελίας ἔνειχεν μεμόγηκε κάκισα,  
θέροισιν, πενίαι, κιγκλίδαι, μέσαια, πέδαις  
οὐκ ἀράντισαν οὐρανοθάλη δόγματα γριστού  
ἀλλὰ ἐδίδαξεν ἔτη παραβάνοντα θεόμην.  
πῆματος ἐπωνυμίας τὸ δὲ σῶμα ἔθρυψαν ἐκείνα  
τεῖνας εὐθάδυμων ἐλασίδης δλύματα ἔχωμεν  
νῦν δὲ τυχὴ ἔχει οὐδίσκες χάρματα γώης  
νέκρα δὲ ἀδμήτη κῶλες ἔϋδυται ταφῆ.  
Εἰσοπε λαμπρότορον γρηγορίῳ τοῦ σώματος τανεῦμα  
οὐσαίς βλέψει δώματα βλωθεῖ πόλα.

Dysticha tria quorum prius  
continet numerum anni quo pater est natus, alterum uero annum quo annum quod incæpit  
uerbum DEI docere, postremum  
annum mortis.

NasCltVr ô faVsto GasparVs syDere SteVrLIn,  
HVnC fLatV sanCto tV DeVs aLte regas.  
Vt bona synCeræ traCtet præCepta faLVtIs  
AC teneat Veræ Mens pletatIs Iter.  
Vt qVoqVe terrIfICæ post trItla VInCVLa MortIs  
EXCeLsI LVstret sVaVla regna poLI.

FINIS.

603



ung VI 54

ULB Halle  
003 896 110

3




5b<sub>a</sub>

Hoc



B.I.G.

Farbkarte #13



PARAPHRASIS  
In Canticum Simeonis Luc. 2.  
docens modum rectè uiuendi  
& piè moriendi, Elegiaco  
carmine compræ-  
henſa.

m)

Casparo Steurlin

Smalchaldensi.

ADDITVM EST IN FINE EPI-  
CEDION REVERENDI VIRI CASPA-  
ri Steurlin Concionatoris Smalchal-  
densis &c.

Vuitebergæ excudebat  
Laurentius Schuenck.

1562.